

FRANCISCI PATRICII  
PANAUGIÆ  
LIBER QUARTUS  
*DE LUMINE.*

Lumen Dei Opt. Max. ad res proxime condendas, vivificandas, alendas, fovendas, servandas, et perficiendas, maximum atque optimum instrumentum, nullis pene philosophis bene cognitum: mentem nostram philosophandi avidam, quod, et qua ducat methodo, perpendamus. Ipsumque ad sui ipsius indagacionem nobis præferamus: et e tenebris, in quibus hactenus videtur dormitasse, eruamus: atque ad eorum philosophantium, qui in autoritatibus veterum, non obdormierunt, notitiam deducamus. Quo nobiscum per luminis cognitionem, ad patrem luminum, ac primam lucem ascendere; apud eum motari; ab eoque per rerum gradus descendere; iterumque per eosdem ascendere queant.

Igitur, lumen hoc quid nam est? Quotuplex nam est? Aliud ne est in coelo, et aliud in aere, et aqua? Quas nam habet vires? Quas nam edit actiones? Quas nam patitur passiones? Quorum nam operum est opifex, in elementis, in cœlestibus, supra etiam cœlos? Vera ne sunt encomia, quæ de eo modo præcinuimus? Esse scilicet lumen Dei Opt. Max. Maximum, optimumque instrumentum? Hæc omnia sunt nobis singillatim philosophanda. Sed ante omnia lumen ipsum philosophemur.

Græci communi cum luce nomine lumen appellavere. Utrumque enim φῶς dixere. Quod et Latinorum fecere quidam, lucem utrumque, et lumen nominantes. Nos hæc superius ex rerum natura, ita distinximus, ut radios, a luce discerneremus. Modo lumen a radiis, si tamen res sint inter se diversæ, dignoscamus. Sicuti eorum multa, quæ de radiis sumus contemplati, luci minime conveniunt, ita forte quæ radiis convennere, lumini non convenient. Neque enim lux, lucido corpori insita, nec refrangitur, vel reflectitur. Neque momento a Sole emicat. Neque diaphana penetrat. Quem omnia faciunt radii. Lumenautem, et radii, quomodo differant, ita perquiramus.

Lumen et radii, vel eadem res sunt, vel non sunt eadem. Vel partim eadem, partim non eadem sunt. Hanc ratiocinii necessitatem, nemo effugiat. Radios quidem docuimus a luce promicare, in conos lucentes, candidosque inter se intervallis aliquibus distinctos exire. Si alius fulgor, quam hic radiorum in diaphanis non effulgeat, proculdubio radii, et lumen idem candor erunt. Si vero fulgor alius, in conos non discretus, sed integer, et ea intervalla replens conspiciatur, radii, et lumen non idem candor erunt. Sed candores et fulgores, alius in lineas sue pyramides diffusus, alius in spacia, latiora fusus, et quasi effusus. In ea nimirum, quæ ipsos radios disternunt alium ab alio, et in reliqua omnia post radiorum apices, quaqua versum profusus. Id autem non lippis oculis in radios intuentibus, manifesto cernitur. Hoc ipsum appellamus lumen quod alio magis proprio nomine Græci, et ἀσγήν et φέγγος nuncupavere. Duo ergo fulgores, inter se distincti sunt: radii scilicet fulgor in conum a luce profectus, et in cuspidem collectus, et lumen fulgor alter in latiora spacia fusus. Hoc quoque differunt, quod radii fulgentiores sunt, et visum acutius feriunt, ac lædunt: lumen vero inter radios, minus fulget, et oculos minus lædit.

Sed primum illum fulgorem, e luce ipsa emanare ostendimus, lumen vero, secundusfulgor, an etiam ab eadem luce promanabit? An a radiis solum? An ab utroque? Et a quo nam prius? A luce ne, an a radiis? Profecto, necesse est, lumen hoc, vel ab ipsa sola luce provenire, vel a Solis radiis, vel ab utrisque simul et luce, et radiis. Nullo enim in loco lumen cernitur, nisi ibi, et lux, et radii sint præsentés. Atque adeo lumen, non nisi in lumine conspicitur. Neoterici de Peripato, credunt lumen sui natura non cerni, et si cernatur, per accidens cernatur, quia scilicet non nisi in solo, aut pariete, quæ ferit cernitur, et potius esse instrumentum quo, et per quod alia cernantur, quam cernatur ipsum. Nos vero dicimus, utrumque lumen facere. Nam et colores, et alia quæ sub coloribus latent, quæ optici ad 22